

ad Rom. 8, dicitur: *Lex spiritus vitæ in Christo Jesu, quæ liberat a lege peccati et mortis*. Adde, legem veterem non esse datam a Moyse ut auctore, sed a Deo per Moysen; Christus vero fuit auctor legis gratiæ, quæ per ipsum facta est.

4. *Potestas Christi legislativa nulli creaturæ communicata. — Potestas Christi legislativa excellentissima. —* Dico secundo: hæc potestas legislativa fuit in Christo cum singulari quadam excellentia, cum qua nulli creaturæ communicata est. Est certa, et probatur et explicatur variis modis: primo, ab origine, quia hæc potestas in illo fuit quodammodo divina, erat enim potestas Dei, et a propria dignitate personali manavit. Propter quod, jus per hanc potestatem constitutum, simpliciter divinum est, quia, licet proxime per humanitatem datum sit, tamen ab ipsomet Deo immediate datum est, et per divinam potestatem, et juxta divinæ voluntatis beneplacitum; unde Deuteron. 18 ait Moyses, de Christo loquens: *Prophetam de gente tua, et de fratribus tuis sicut me, suscitabit tibi Dominus Deus tuus, ipsum audies; et infra: Prophetam suscitabo eis de medio fratrum suorum similem tui, et ponam verba mea in ore ejus, loqueturque ad eos omnia, quæ præcepero illi; qui autem verba ejus, quæ loquetur in nomine meo, audire noluerit, ego ultor existam*. Secundo, ex perfectione et excellentia præceptorum quæ per hanc potestatem imposita sunt; omnia enim ad internum bonum animæ pertinent, et ad majorem cognitionem Dei, majoremque cum illo conjunctionem, ut latius in materia de sacramentis ostendendum est; de quibus nunc sufficit dictum illud August., lib. 19 contra Faust., c. 13, *nobis data esse sacramenta, seu præcepta virtute majora, utilitate meliora, actu faciliora, numero pauciora, tanquam justitia fieri revelata, et in libertatem vocatis filiis Dei*. Tertio, per hanc potestatem potuit abrogari lex vetus, etiamsi a Deo data esset, non solum quia, cum Christus esset finis legis, ut dicitur ad Rom. 12, postquam per ipsum completa est, veluti sponte sua evanuit; sed etiam quia, ut dicitur ad Heb. 7, *translato sacerdotio, necesse est ut legis translatio fiat*. De quo videri potest August., toto illo lib. 19 contra Faust., præsertim a cap. 7. Quarto, potestas hæc fuit amplissima in universum orbem, juxta illud: *Dabo tibi gentes hæreditatem tuam, et possessionem tuam terminos terræ*, Psalm. 2; et ideo, Marc. ult., ipse præcepit Apostolis: *Euntes*

in mundum universum prædicate, etc.; et Matt. ult. dixerat: *Data est mihi omnis potestas in cælo et in terra*. Quocirca, sicut, gratia Christi omnibus communicatur, et Ecclesia ejus catholica est et universalis, de se omnes complectens, ita et jurisdictio amplissima est, et lex ejus ad quaslibet personas extenditur, et ad actus tam internos quam externos, et ad omnium virtutum materias, et ad omnes effectus supremæ potestatis, quales sunt dispensare, abrogare, et similes; est enim perfectissima potestas, et divina. Quinto denique (ut ex præcedent. sectione patet), non solum potuit Christus per hanc potestatem leges condere, sed etiam potuit Vicario suo hanc potestatem impartiri, quam illi communicavit, non quidem cum æquali perfectione, tamen cum tota illa, quæ ad perfecte regendam Ecclesiam necessaria fuit, ut latius in proprio loco ostendendum est.

DISPUTATIO XLVIII,

In duas sectiones distributa.

DE TEMPORALI REGNO CHRISTI DOMINI

Disputatio hæc commode præcedentibus adjungitur, quia D. Thomas, in art. 1, Christum regem, sacerdotem, et legislatorem fuisse docuit; et Melchisedech rex simul et sacerdos existens utramque dignitatem in Christo præfiguravit; ut ergo utraque dignitas perfecte maneat explicata, duo a nobis in hac disputatione præstanda sunt. Primum enim videndum est in particulari de regno Judæorum, an ad Christum pertinuerit aliquo proprio et humano titulo. Deinde de universali regno et dominio totius orbis breviter dicendum erit.

SECTIO I.

Utrum Christus hæreditario jure temporale regnum Judæorum obtinuerit.

1. In hac re fuit sententia Armachani, lib. 4 de Quæstionib. Armenor., c. 15 et 16, dicentis Beatam Virginem habuisse jus hæreditarium ad regnum Judæorum, quia linea recta descendebat ex familia David, et deficiente viro, femina in hæreditate succedebat, Numer. 27 et 39; neque enim est cur ab hac generali lege excipiat regina hæreditas, cum neque in tota lege cautum sit, neque femina sit incapax regni, ut per se manifestum est; cum ergo parentes Virginis ex stirpe regia directe descenderint, et alium filium non

habuerint, ad Virginem devoluta est hæreditas, et jus quod ipsi ad regnum habebant; ergo, cum Christus fuerit unicus filius Virginis, in illum transfundendum fuit hoc jus. Quam sententiam confirmat nonnullis Scripturæ testimoniis, Mich. 5: *Et tu Bethleem, terra Juda, nequaquam minima es in principibus Juda, ex te enim orietur dux, qui regat populum meum Israël*; et Jerem. 53: *Suscitabo David germen justum, et regnabit Rex, et sapiens erit, etc.*, et aliis similibus, quibus supra probavimus Christum esse regem. Confirmat secundo, quia pueri Hebræorum cantabant Christo: *Benedictus Rex, qui venit in nomine Domini. Benedictum quod venit regnum patris nostri, David*, Marc. 11, Luc. 19; quas voces Christus non cohibuit, sed potius probavit, sicut Pilato interroganti Matth. 27: *Tu es rex Judæorum?* quamvis ipse de regno temporali interrogaret, Christus annuendo respondit: *Tu dicis*; unde, Matth. 17, Petro dixit Christus se esse liberum ab obligatione solvendi tributum, tanquam filium regis ad quem regnum pertinebat. Ultimo confirmari potest ex 1 Mach. 14, ubi, cum senatus et principes Judæorum Simonem Machabæum, ejusque successores, in ducem et principem sacerdotum elegissent, ut perpetuo ea dignitas in illa familia duraret, exceptionem addiderunt: *Donec surgat Propheta fidelis, ille scilicet Propheta, de quo Moyses prædixerat: Prophetam sicut me, etc.*, Deuteron. 18, id est, usque ad adventum Messiæ, quia certo credebant Messiam futurum esse verum regem, et hæredem illius regni. Addit tamen hic auctor, quamvis Christus jure suo potuerit hoc regnum obtinere, illud tamen repudiasset, ac omnino renuntiasset, paupertatem præferentem temporali regno; et ita inquit hoc jus non solum non minuere perfectionem Christi, sed potius ad eam magis demonstrandam conferre, quia ea bona temporalia, quæ multis titulis habere poterat, contempsit.

2. Dicendum nihilominus est primo, certum esse Christum non fuisse de facto regem temporalem Judæorum. Hoc certum est, ut constat ex toto discursu Evangelii, et ex Joan. 6, ubi cum eum vellent facere regem, abscondit se. Hoc etiam constat, quia ipso vivente fuerunt alii reges Judæorum, si non jure, saltem facto; unde colligitur ipsum non habuisse usum, seu actuale regimen temporale illius regni. Quod vero neque proprium dominium aut proprietatem habuerit, patet, quia neque per electionem hominum habuit,

ut per se constat, neque jure hæreditario, quia illud non habuit, ut statim dicam; tum quia, licet habiturus fuisset, tamen vivente matre, in illa dominium et proprietatem permanisset.

3. *Christus non habuit jus hæreditarium ad regnum temporale Judæorum.* — Dico secundo: Christus Dominus nullum jus humanum seu hæreditarium habuit ad temporale regnum Judæorum, ratione carnalis originis ex familia David. Hæc est sententia communis, pro qua multa congerit ex Patribus Walden., lib. 2 Doctrinal. fid. antiq., cap. 76 et 77; eandem defendunt Victoria, Scot. et alii, sect. sequenti referendi. Et probatur primo, quia existimare, regnum in sacra Scriptura Messiæ promissum, futurum fuisse temporale, Judaicum redolet sensum, ad quem excludendum Scriptura fere semper variis modis ostendit regnum illud esse spirituale, et ad bonum animæ pertinens, et non contineri intra terminos Judææ, sed per universum mundum extendi, et non fuisse futurum super carnales Israelitas, sed super spirituales filios Abraham secundum fidem, ut in epist. ad Romanos latius Paulus prosequitur, et optime Augustinus demonstrat, lib. 17 de Civit., cap. 6, 7, et sequentib., tract. 51 in Joan., et ex adductis in præcedenti quæstione satis constat. Denique Scriptura non dicit habiturum jus ad regnum, sed vere regnaturum, et futurum regem, quæ non possunt vera esse de illo temporali regno; non ergo de illo Scriptura loquitur. Secundo, probatur ratione in Scriptura fundata, quia regnum David jam prius cessaverat, et successio fuerat interrupta, ut constat ex Jerem. 22, ubi de Jeconia dicitur: *Non erit de semine ejus, qui sedeat super solium David, et potestatem habeat ultra in Juda*; ubi advertit Hieronymus hoc esse intelligendum de solio David, quantum ad temporale regnum, nam quantum ad spirituale et æternum, Christus postea sedit in throno David, sicut Angelus Mariæ prædixit Luc. 1. Quod etiam notavit Ambros., lib. 3 super Lucam. De qua re multa diximus supra, disp. 1 hujus materiæ, tractantes locum illum Genes. 49: *Non auferetur sceptrum de Juda*. Et confirmari potest hæc ratio ex loco illo 1 Machabæ. 14, ubi cum jam regnum Judæorum cessasset, et ducatus etiam extinctus esset, seu translatus a tribu Juda, totus Judæorum populus ex communi consensu constituit sibi ducem et summum sacerdotem Simonem Machabæum, ut in eo et posteritate

ejus ea dignitas perpetuo maneret. Cum ergo translata esset omnino dignitas regia a domo Juda, non potuit legitima successione et hæreditario jure ad Virginem pervenire. Nec vero quia ibi additur conditio illa: *Donec surgat Propheta fidelis*, inde colligi potest, nato Christo statim ad illam translatum esse hoc jus; primo, quia vel hoc esset propter successionem, vel propter populi consensum. Primum dici non potest, quia, ut ostensum est, jam antea extinctum fuerat regnum Judæorum; nec secundum, tum quia non constat ibi esse sermonem specialiter de Messia, sed de quocunque propheta fidei, qui Dei voluntatem manifestaret; tum etiam quia, licet tunc consenserint in conferendo principatu Machabæis usque ad tempus Messia, non tamen inde fit, ex tunc transtulisse jus vel dominium in Messiam, ita ut in suo adventu statim sine alio populi consensu regnum temporale acciperet, præsertim cum ipsi postea Judæi acclamaverint: *Non habemus regem nisi Cæsarem*; et: *Noli scribere, Rex Judæorum, sed quia ipse dixit: Rex sum Judæorum*. Tum denique quia etiam ille principatus Machabæorum fuit extinctus ante Christi adventum. Ultimo probatur, quia nullo modo constat nec probari potest, Beatam Virginem recta linea descendisse a David per Salomonem, et per omnes successores ejus primogenitos; quin potius probabilius est, paternam lineam Virginis fuisse a David per Nathan, ut infra ostendemus. Quod vero quidam dicunt, Joseph descendisse per Salomonem, et ad illum pertinuisse regnum, et jure adoptionis translatum esse ad Filium, hoc (inquam) voluntarium est, quia præter rationem secundam supra factam, quæ contra hoc æque procedit, non constat Josephum fuisse in illa linea primogenitum, seu primum successorem omnium primogenitorum præcedentium, præterquam quod jus regni non potest transferri per solam adoptionem, in præjudicium legitimi successoris. Adde, incertum esse Christum fuisse filium adoptivum Joseph, sed solum putativum. Fundamenta contrariæ sententiæ ex dictis expedita sunt, neque oportet aliquid addere, quia difficultatem non habent.

SECTIO II.

Utrum Christus Dominus habuerit dominium universale, et directum super universum orbem.

1. Non versatur quæstio de Christo ut Deo, de cujus supremo et universalissimo dominio

nulla est controversia. Tractamus ergo de Christo ut homine, de quo illud etiam indubitatum apud omnes est, ratione spiritualis regni et potestatis, consequenter habuisse jus et potestatem utendi omnibus temporalibus rebus in ordine ad spiritualem finem, et salutem animarum. Quia, sicut potestates et regna ex finibus præcipue distinguuntur, ut Aristoteles docet, lib. 3 Politic., c. 14, ita in ordine ad suum finem unaquæque potestas vim et efficaciam habet circa omnia inferiora, quæ possunt finem illum impedire, vel convenienter promovere, quia alias potestas esset imperfecta et diminuta. Cum ergo temporalia omnia ad spiritualia referantur, illisque subordinentur, omnia illa, ut ordinem habent ad hunc finem, subjeci possunt huic spirituali potestati Christi; unde saltem hac ratione necesse est verum esse quod Christus dixit: *Data est mihi omnis potestas in cælo et in terra*. Et ab effectu confirmatur: nam, sicut ab hac spirituali potestate Christi derivata est suprema potestas spiritualis, quam Vicarius ejus habet in terris, ita ab eadem duxit originem potestas, quam idem Summus Pontifex habet super omnia temporalia regna indirecte, et in ordine ad spiritualem finem, ut in proprio loco latius ostendendum est. Denique multi arbitrantur ad usum hujus potestatis pertinuisse, quod ad verbum Christi arefacta est ficulnea, Matthæi 21, et quod ejecerit ementes et vendentes de templo, Joan. 2. Versatur ergo quæstio de dominio directo.

2. Prima sententia negat Christum Dominum habuisse aliquod dominium directum rerum omnium. Ita tenuit Abulens., q. 30, in illud Matth. 21: *Ecce Rex tuus venit tibi*. Waldens., lib. 2 Doctrin. fid. antiq., c. 76 et 77; Victor., Relect. 1 de Potestate Eccles., q. 5, quæ est, an potestas spiritualis sit supra civilem, num. 15; Sot., lib. 4 de Justit., quæst. 4, art. 1. Et in eandem sententiam inclinat Armachan., lib. 4 contra Armen., c. 12; et Burgens., in scrutinio Scripturarum, p. 1, dist. 7, et sequentibus. Huic autem sententiæ addidit Marsil., Patavinus hæreticus, Christum non solum non habuisse potestatem directam super reges temporales, sed potius fuisse illis subjectum, et obligatum ad solvenda tributa. Quem errorem damnavit Joannes XXII, in Extravag. Licet juste, ut refert Turrecrem., lib. 4 Summ. Eccles., 2 part., c. 37; pugnat enim cum dignitate et divinitate personæ Christi, et cum verbis ejus, Matthæi 17: *Ergo liberi sunt filii*. Omisso

ergo hoc errore, de quo supra, quæst. 20, satis egimus, fundamentum hujus sententiæ primum sumitur ex omnibus illis sacrae Scripturæ locis, quibus supra ostendimus regnum Christi esse spirituale; ex eisdem enim colligi videtur non esse temporale; sunt verba optima Zachar. 9: *Exulta satis, filia Sion; jubilata, Jerusalem, ecce Rex tuus venit tibi justus et salvator, et ipse pauper, sedens super asinam, etc.*; ideo enim illa duo conjunxisse videtur, regem et pauperem, ut regnum illud non temporale, sed spirituale esse significaret; propter quod dixisse videtur ipse Christus: *Regnum meum non est de hoc mundo*. Secundo, quia Christus docuit contemnere temporalia regna et divitias; ergo neque ad exemplum, neque ad finem redemptionis Christo erat utile hoc dominium, unde neque illo unquam usus est, neque potestate ulla seu jurisdictione temporali; unde Luc. 12, homini petenti ab ipso: *Magister, dic fratri meo ut dividat mecum hereditatem*, ipse respondit: *Homo, quis me constituit judicem aut divisorem inter vos?* Tertio denique, quia si Christus habuisset directum dominium, et potestatem super omnia regna mundi, reliquisset Vicario suo, quia cum illo communicavit omnem suam potestatem; consequens autem est falsum.

3. Secunda sententia affirmat, Christum habuisse absolutum et directum dominium et potestatem super omnia regna temporalia, per quam posset illa regere, moderari, aut mutare suo arbitrio. Hæc est sententia D. Thomæ, lib. 1 de Regimine principum, c. 22 et sequentibus; eandem tenet D. Antoni., 3 part., tit. 3, cap. 2; et Almain., lib. de Potestate Eccles., cap. 8; Turrecrem., lib. 2 Summæ Eccles., cap. 116; Navar., in cap. Novit, de Judiciis, notab. 3, num. 8 et seq., et num. 130.

4. *Dominium quotuplex.* — Pro solutione advertendum est unum esse supremum dominium, quod soli Deo convenit in quantum Deus est, et incommunicabile fuit humanitati Christi, tum quia etiam ipsa sub hoc dominium cadit; tum etiam propter independentiam quam includit; est enim hoc dominium independens ab omni superiori voluntate, et directe cadit in res omnes, etiam prout conservantur in esse. Aliud vero est dominium, quasi extreme ab hoc distans, et infimi ordinis, ut est dominium humanum, quod magna ex parte in voluntate humana fundamentum habet; ad quod revocatur juris-

dictio, seu potestas temporalis, quæ ab hominibus etiam introducta est ad tuendam Rempubicam, et in justitia ac pace conservandam; et hac ratione in hac quæstione de dominio et regno, quod in quadam potestate et jurisdictione consistit, indifferenter loquimur. Inter hæc vero duo dominia, intelligi potest aliud medium, quod quidem dominium creatum sit, sub divino existens, et ab illo pendens, et in creata voluntate et libertate fundatum, excellens tamen, ac superans omnia dominia, et regna humana. Primum in origine, ut si a Deo manet, et non ab hominibus. Deinde in ejus firmitate et stabilitate, ut si non sit caducum, sed stabile et æternum. Tertio in materia seu objecto, ut si ad res omnes creatas se extendat, etiam ad Angelos, et ad omnem usum, tam naturalem quam supernaturalem. Hoc autem genus domini medii possibile esse, non videtur posse dubitari, quia nullam in se repugnantiam involvit; et Deus, qui est supremus omnium Dominus, potest sui domini participationem, prout voluerit, communicare.

5. Dico ergo primo: quamvis Christus Dominus interdum habuerit aliquarum rerum humanum et temporale dominium, non tamen assumpsit hujusmodi dominium, vel potestatem in toto orbe, neque in aliquo regno temporali. Prior pars satis probatur ex definitione Joannis XXII, in Extravag. Cum inter nonnullos, de Verb. significat.; de illa enim latius agemus tractantes de vita Christi, quæstione 40. Nunc enim solum supposita est, quia in illa insinuat secundam conclusionem; si enim definit Pontifex Christum habuisse paucarum rerum dominium, sentit non habuisse illud in toto orbe. Et hoc confirmant illa testimonia, quibus docetur Christum fuisse pauperem; perfecta enim Evangelica paupertas consistit in abdicatione rerum temporalium, non tam quoad usum, quam quoad potestatem et dominium.

6. *Objectio.* — *Responsio.* — Dices, hæc ad summum procedere de tempore vitæ mortalis Christi Domini. Respondetur ita esse, et proposito sufficere, nam in vita immortalis et gloriosa, caducum et temporale dominium, nec necessarium est, nec illi statui accommodatum; unde multo certius est etiam post resurrectionem non assumpsisse Christum hujusmodi dominium. Et confirmatur, quia hoc dominium originem habet ab hominibus; Christus autem nullo humano titulo illud habuit, ut per se est manifestum, iis adjunctis

quæ sectione præcedenti dicta sunt. Dices habuisse hoc dominium immediate infusum per accidens a Deo. Sed hoc sine ullo fundamento dicitur, ut bene probant argumenta prioris sententiæ, quia hoc dominium neque ad perfectionem Christi pertinet, neque ad aliquem usum Christus illo indiguit; unde recte Ambros., lib. 7 in Lucam, explicans verba illa: *Quis me constituit judicem inter vos? Merito, inquit, terrestria declinat, qui propter caelestia venerat, et avaritiæ tollendæ præbet exemplum.*

7. *Christus rerum omnium dominus.* — Dico secundo, habuisse Christum Dominum per se et directe excellens quoddam dominium, et potestatem in res omnes creatas, et super omnes omnium hominum et Angelorum actiones. Probatur primo ex Scriptura et Patribus; Apocal. 1 dicitur Christus *Princeps regum terræ*; et c. 19: *Habet in femore*, id est, in humanitate (ut glossa et alii exponunt) *Rex regum et dominus dominantium*; Actor. 10: *Annuncians pacem per Jesum Christum, hic est omnium dominus*, ubi manifeste sermo est de Christo ut homine. Unde ad Hebræos 2 de Christo exponitur illud Psalm. 8: *Omnia subjecisti sub pedibus ejus, constituisti eum super opera manuum tuarum*; et 1 ad Cor. 15: *Omnia subjecta sunt ei, præter eum qui subjecit ei omnia*. Denique Matth. ult.: *Data est mihi omnis potestas in caelo et in terra*; qui autem dixit omnem potestatem, nullam exclusit quæ in hominem cadere posset. Faciunt etiam verba illa Joan. 18: *Regnum meum non est de hoc mundo*, ubi Christus et se regem fatetur, et negat se regnum habere ad modum regum temporalium; et optime de hoc regno et dominio intelligitur, et non solum de potestate et regno spirituali; quia Christus eminenter habet omnem potestatem et dominium, quod habent reges temporales, et ideo non solum in ordine ad finem spirituale, sed etiam directe et per se est rex omnium. Unde Cyril., lib. 12 in Joan., cap. 10, hæc verba exponens, ait: *Regem se esse non negat; sed regni Cæsaris se non esse hostem ostendit, quia ejus regnum terrenum non est, sed cæli et terræ, cæterarumque rerum omnium*. Similia habet cap. 12; et Chrysost., hom. 82 in Joan.; et Augustinus, tract. 14, inquit: *Erat quidem rex, non talis qualis ab hominibus fit, sed talis ut homines reges faceret*; et tract. 115, ponderat non dixisse Christum: *Regnum meum non est hic, seu in hoc mundo, sed non est hinc, nec de hoc mundo*. Et in eodem sensu intelligi pos-

sunt verba Gregorii, hom. 8 in Evangelia, ubi, cum dixisset Christum natum esse in via, ad indicandum quod in alieno nascebatur, subdit: *Alienum dico, non secundum potestatem, sed secundum naturam, nam secundum potestatem in propria venit*; ubi non solum distinguit divinitatem ab humanitate, sed in ipsa etiam humanitate distinguit naturalem conditionem a potestate quam ratione unionis habuit, ratione cujus etiam dici potest venisse in propria. Nec videntur hæc omnia satis explicari de indirecta potestate, quæ non est facultas absolute et simpliciter, sed limitata ad spiritualem finem, et quasi sub conditione, si usus temporalium rerum ad illum finem fuerit necessarius; at vero in citatis testimoniis videtur tribui Christo absolutum dominium, et potestas simpliciter. Quod ita explicatur et confirmatur, quia, si Christus solum haberet potestatem indirectam, non posset Angelis, verbi gratia, præcipere, nisi quod ad salutem hominum esset necessarium, neque posset uti re aliena ad faciendum miraculum, si commode posset alio modo id efficere; indignum autem videtur, hæc et similia de Christi potestate sentire. Confirmatur secundo, quia hæc potestas indirecta, non est distincta a potestate spirituali, quæ cum sacerdotio Christi conjuncta est; unde neque regnum mere spirituale, distinctum aliquid est ab ipso sacerdotio; at vero Scriptura tribuit Christo dignitatem sacerdotis, et regis tanquam distinctas, ut ex Augustino constat, tract. 13 in Joan. Unde et Melchisedech, qui figura fuit Christi, utramque potestatem habuit directam et distinctam. Ultima et propria ratio est, quia Christus est Filius naturalis, et hæres universorum, ut ad Hebr. 1 dicitur; ergo ratione unionis debetur illi hoc dominium et potestas, quæ suo etiam modo ratione redemptionis et infiniti meriti deberi potuit, quia hæc potestas ad quamdam exaltationem nominis Christi pertinet, ut in nomine Jesu omne genu flectatur, ad Philippen. 2.

8. *Dubium.* — Quæres an habuerit Christus hoc dominium in vita mortali, vel solum post resurrectionem. Quibusdam hoc posterior placet, quia, in hoc mortuus est et resurrexit, ut vivorum et mortuorum dominetur, ad Rom. 14. Alii verius videtur primum, quia ante resurrectionem novit Christus omnia dedisse sibi Patrem in manus, ut dicit Joan. 13; debebatur enim hæc dignitas Christo ratione unionis, et ideo statim data est, quia ejus carentia, neque ad nostram redemptionem ne-

cessaria erat, neque ad exemplum paupertatis; satis enim fuit privari dominio terreno, et externo splendore, et abundantia temporalium rerum, in his enim versatur humana paupertas; privari autem sua potestate excellentiæ, non fuit magis necessarium quam privari potestate faciendi miracula; multum enim conjuncta est hæc potestas cum illo excellenti dominio. Quanquam ergo fuerit egenus in usu, et humana proprietate temporalium rerum, ut dicitur 2 ad Corinth. 8, dives nihilominus fuit altiori genere potestatis; sicut etiam, licet exterius se subdidit, et interdum tributum solverit, nihilominus liber fuit, et immunis ab omni tributo et subjectione humana; hoc enim debitum illi erat ratione unionis, neque oportuit aut decuit hac dignitate privari. Et hæc posterior sententia mihi magis placet, si in rigore loquamur de proprietate et potestate excellentiæ, nam si loquamur de quodam absoluto et perfecto usu, et quasi de possessione hujus regni et domini, atque adeo de manifestatione ejus, hæc post resurrectionem plene ac perfecte obtenta sunt.

9. *Solutio ad argumenta.* — Fundamenta prioris sententiæ probant primam conclusionem, et si contra hanc secundam fiant, ex dictis soluta sunt, præsertim primum et secundum. Circa tertium vero male quidam intulerunt, Summum Pontificem habere dominium temporale totius orbis, quod nullum habet fundamentum, quia Christus non communicavit Vicario suo omnem potestatem excellentiæ. Alii intulerunt a primo instanti conceptionis Christi omnes reges privatos fuisse suis regnis quoad dominium et proprietatem; quod vanum est et sine fundamento, quia hoc excellens dominium, cum sit superioris ordinis, non excludit privata dominio, sicut neque excludit dominium Dei. Unde recte Augustinus, dicto tractat. 115 in Joan., dicit, Christum in illo verbo: *Regnum meum non est de hoc mundo, tacite dixisse ad omnes reges terræ: Nolite timere, non impedio dominationem vestram*; et Ecclesia canit: *Non eripit mortalia, qui regna dat caelestia*. Aliqui denique hæretici intulerunt omnes reges terræ esse Vicarios Christi hominis, et tam in spiritualibus quam in temporalibus ejus vices habere. Hoc autem secundum hæreticum est, ut ex materia de fide constat; primum vero in rigore est falsum, ut satis ex dictis constat. Quocirca cum D. Thom., in dicto lib. de Regim. princip., dicit Augustum Cæsarem

fuisse *Christi Vicarium* ab illius nativitate, exponendus est. Nam, quia Christus erat superior Augusto, et potuisset illius imperium occupare, si vellet, ideo dici potest ex tunc imperasse ex quadam liberalitate Christi; et hoc sensu dicitur Vicarius ejus, non quia proprio dominio et potestate privatus fuerit; sic Sancti interdum dicunt divites esse *æconomos Dei*, largo quodam modo, qui dominium divitiarum non excludit.

QUÆSTIO XXIII.

DE ADOPTIONE CHRISTI, IN QUATUOR ARTICULIS DIVISA.

Deinde considerandum est an adoptio Christo conveniat. Et circa hoc quaeruntur quatuor.

Primo, utrum Deo conveniat adoptare filios. Secundo, utrum hoc conveniat soli Deo Patri.

Tertio, utrum sit proprium hominum adoptari in filios Dei.

Quarto, utrum Christus possit dici filius adoptivus.

In tribus primis articulis hujus quæstionis disputat D. Thom. in communi, et generatim de divina adoptione, ut inde in quarto articulo concludat, quomodo de adoptione Christi sentiendum sit. Et ideo tres primos articulos breviter expediemus; res enim, quæ in illis tractari possunt, ad materiam de gratia et justificatione spectant; circa quartum vero articulum longiorem disputationem instituemus.

ARTICULUS I.

Utrum Deo conveniat filios adoptare¹;

1. *Ad primum sic proceditur. Videtur quod Deo non conveniat filios adoptare. Nullus enim adoptat nisi extraneam personam in filium, secundum quod juristæ dicunt. Sed nulla persona est extranea a Deo, qui est omnium creator. Ergo videtur quod Deo non conveniat adoptare.*

2. *Præterea, adoptio videtur esse introducta in defectum filiationis naturalis. Sed in Deo invenitur naturalis filiatio, ut in prima parte*

¹ 3, d. 10, q. 2, a. 1, q. 1; et 4 contra, c. 17, fin.